c quisitè admodum Dioscorides & Plinius tertium Aizoi genus, quod uermiculare minorem hodie appellant, deliniarunt. Habet enim pinguia admodum foliola, ad Portulacæ sylvestris formam nonnihil accedentia, hirsuta, & breuiori quàm in Aizoo minori cacumine. Reliqua quæ sequuntur in quibusdam Dioscoridis exemplaribus, manifestè adulterina sunt. Neqꝫ ijs plura habet Aldinū exemplar, & alia quæ paulò sunt castigatiora.

LOCVS.

Maius nascitur in montanis & testeis. Nonnulli autem in tectis domorum conserunt. Minus Aizoon in muris & petris, macerijs uinearū, parietibusqꝫ prouenit. Tertium in petrosis locis, sepulchris umbrosis, oppidorumqꝫ fossis.

TEMPVS.

Florent Maio & Iunio mensibus maius & minus. Tertiū autem genus in Maio tantum floribus ornatur luteis.

TEMPERAMENTVM.

Aizoon utrunque, tam maius quàm minus, desiccant modicè, uehementer autem refrigerant: sunt enim ex tertio ordine & recessu refrigerantium. Tertium genus calidum esse, Dioscoridis & omniū ueterum testimonio constat. Gustus etiam minimè reclamat: si enim gustaueris, linguam uehementer urit.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Maius uim obtinet refrigerandi & adstringendi. Conferunt ad erysipelata, herpetas, nomas, oculorū inflammationes, ambusta, podagras, folia per se, & cum polenta illita. Succus uero cum polenta & rosaceo, capiti in doloribus infunditur. Datur à phalangio morsis in potu, diarrhœa laborātibus, dysentericisqꝫ. Teretes lumbricos cum uino potus excutit. Subditus in pesso, muliebres fluxiones sistit. Succus etiam lippientibus à sanguine utiliter inungit.
D Minoris folia antedicto eandem facultatem habent. Tertium genus calfaciendi uim habet, acrem, & exulcerantem. Cum axungia illitum, strumas discutit.

EX GALENO.

Semperuiuū utrunqꝫ tam maius quàm minus desiccat quidem modicè, quandoquidē & mediocriter adstringat, omnis alterius uehementis qualitatis expers: quare in eo aquea essentia abundat. Refrigerat non mediocriter, ideoqꝫ ad erysipelata, herpetas, & à fluxione natas phlegmonas prodest.

EX PLINIO.

Vtriusqꝫ uis eadem, perfrigerare & adstringere. Medentur epiphoris folia imposita, uel succus inunctus. Purgant enim ulcera oculorum, explentqꝫ, & ad cicatricē perducunt. Palpebras deglutinant. Eadem capitis doloribus medentur, succo uel folio temporibus illitis. Aduersantur phalangiorum ictibus: aconito uero maius Aizoum præcipuè. A scorpionibus quoque feriri id habentem negant. Medentur & aurium dolori.

APPENDIX.

Errat non parum hodie magna medicorū pars, qui Sedi genus tertium refrigerare, asserere haud uerentur. Et mirum sanè cur ab eo errore illos Dioscorides non reuocet, qui disertè ait, hoc ipsum calefaciendi, & exulcerandi facultatem habere. Sed fortè non magnopere laborant quid de hac planta Dioscorides tradat: debuisset tamen erroris huius admonuisse eos saltem germanica eius plantæ nomenclatura. Neque enim alia ratione Maurpfeffer nostris Germanis dicta est, nisi quod in muris proueniat, gustuqꝫ acris admodum sit.



PLANTAGO
MAIOR.